



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**D. Burchardi VVormaciensis Ecclesiae Episcopi,
Decretorum Libri XX. ex Consiliis, & orthodoxoru[m]
patru[m] Decretis, tum etiam diuersaru[m] nationum
Synodis, ceu loci communes congesti, in quibus ...**

Burchardus <Wormaciensis>

Parisiis, 1549

De illis qui per superbiam alios inebriant. xv.

urn:nbn:de:hbz:466:1-10722

Ex pœni-
tentiali
Romano.

QVI per ebrietatem vomitum facit, si presbyter aut diaconus est, XL. dies pœniteat. Si monachus XXX. dies pœniteat, si clericus, XX. dies, si laicus, XV. dies.

Ex pœni-
tentiali Be-
da pres-
byteri.

De eadem re. Cap. XIII.

LAicus, si per ebrietatem vomitum facit, tres dies à carne, & vino, & ceruisia abstineat.

De illis qui per superbiam alios inebriat. Cap. XV.

Ex eodē.

SI quis per nequitiam alium inebriat, quadraginta dies pœniteat. Quod si in consuetudine habuerit, commone priuetur, donec dignè pœniteat, & emendationem promittat.

Quod fugienda sit ebrietas. Cap. XVI.

Ex decr.
Clemētis
pap. cap.
35.

EBrietatem oppido prohibebat propheta, & ebrietas corpore, & animo mortuos esse predicabat. De quibus per exemplum aiebat: Vae qui consurgitis mane ad ebrietatem sectandam, & potandum vsque ad vesperam, ut non aestuetis. Cithara, & lyra, & tympanum, & tibia, & organum in conuiujs vestris, & opus domini non respicitis, opera manuum eius consideratis. Et iterum: Vae qui potestis estis ad bibendum vinum, & viri fortes ad miscendam ebrietatem, qui iustificatis impium pro muneribus, & iustitiam iusti auferitis ab eo. Propter hoc, sicut deuorat puluam lingua ignis, & calor flammæ exurit, sic radix eorum quasi fauilla erit, & germen eorum, ut puluis accendatur. Abiecerunt enim legem domini exercituum, & eloquia sancti Israël blasphemauerunt. Ideo iratus est furor domini in populo suo, & extendit manum suam super eum, percussit eum, conturbati sunt montes, & facta sunt monticina eorum, quasi sterco in medio platearum. In omnibus his non est aduersus furor eius, sed adhuc manus eius extensa.

Item de ebrietate. Cap. XVII.

Sanctus
Isidorus
dicit.

ESca crapulam, potus ebrietatem, generant. Ebrietas autem perturbationem gignit mentis, furorem cordis, flammam libidinis. Ebrietas ita mentem alienat, ut nesciat. Vnde etiā malum non sentitur, quod per ebrietatem